



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An peccatores Deus non exaudiat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

præstigiatores tanta potentia miraculorum ad seducendos homines instruat. Reuera enim dicere possent, si fallerentur, à Deo mirabiliter, ac potenter agente se deceptos. Miraculum est enim diuinæ veritatis & omnipotentiae publicum & spectabile testimonium; non potest æterna veritas hoc falsitati tribuere. Certè Christus Marci 2. *Vt autem sciatis*, inquit, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*: ait, *paralytico*: Tibi dico surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Vbi miraculum quod videbatur, facit testimonium remissionis peccatorum, quæ latebat. Non sunt etiam minoris testimonia, quæ in Ecclesia ad dogmata confirmanda quotidie fiunt.

VERSUS 22. & seq.

Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudeos. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. &c.

QVÆSTIO I.

Cur parentes non responderunt quomodo sanus sit factus?

§. 1. Timebant ne fierent *ἀσυνάγωγοι*, synagogæ seu Ecclesiæ pellerentur. Conspirauerant enim ut si quis eum confiteretur, extra Synagogam fieret. Quare excommunicatio, seu separatio à fidelium numero continebatur. Ideo negotium filio relinquunt: *Ætatem habet*, seu ut Syrus, *ad annos progressus est*.

§. 2. Caluinus Catholicæ Ecclesiæ, & Episcoporum excommunicationem timendam non esse affirmat, sed optandam potius, suis tamen in Ecclesijs retinendam. [Tenemus igitur ex vetustissima Ecclesiæ disciplina ortum esse excommunicandi ritum: deinde non nuper cepisse, neque vnius tantum sæculi esse hoc vitium: ut sancta Dei instituta, suis sacrilegijs impij homines corrumpant. Esse aliquam correctionis formam, qua rebelles cohiberentur, Deus ab initio voluit.] Deinde subdit excommunicationem apud Catholicos in tyrannidem esse veram, apud suos esse legitimam.

Ridiculum est plane, veri pastoris minas contemnere. Salmonea tonitrua sua venditare. Quomodo Caluinus alijque pastores sunt? quis illis per Europam discurrentibus excommunicandi dedit auctoritatem? At Lutheri excommunicatio bene cessit, tunc illuminatus est, ante in tenebris hærebat. Non concedent hoc Lutherani. Multo minus Caluiniani. Nam post condemnationem, in Carolstadium ac Zwinglianos insurrexit. Ita historia habet, & ut Caluinus à suis refellatur, audiatur Pareus lib. 4. cap. 13. de Eu-
charistia.

Lutherus
excommu-
nicatus
insanijt.

Quæ tum in illum Carolstadius, quæ Oecolampadius, Tigurin, alijque in eum dixerint, non est ignotum, quor & quales errores viuo Lutheri consecuti fuerint, quamque gratuita dissidia, adeo ut omnes penæ à Lutheri descuerint, illeque omnes Theologos examinandos censuerit, ut ceteri taceant, docet Historia confessionis Augustanæ ab ipsis Lutheranis edita; & demonstrati in iubilo iubilorum. Pareus in vno articulo de presentia corporis Christi, Lutherum à Lutheri distinguit, p. 204.

Lutherani

Quid de Lutheri cuiusque affectis sentiant Calui-

niani, intelliget, qui legerit Tigurinos in capitibus à Calu-
nianis
 lentos, omni virtute destitutos, in quibus sit confusio, & insipida garrulitas. Homines nullius precij, qui falso prætextu decipiant multos rudes, & impenitos, friuolos, petulantes, facies per quas Satan exiret incendium, temulentos, belij sacramentarium instaurantes. Quomodo igitur tales fuerunt, quos Deus manu porrecta adiunxit, duxitque.

§. 3. Cæcus, cum parentes litem suam facere nolent, fortiter causam agit. Nam vocatus iterum, & iussus Deo gloriam dare, verumque inficari, resistit, & eos hortatur ut Christi discipuli esse ipsi velint. Quod vers. 25. ait: *An peccator sit nescio*, non est dubitantis, sed impiam hostium blasphemiam ironia excipientis: nam serio probat: Peccatorem non esse.

V. 27. In quibusdam est *ὁ καὶ ἠκούσθη*, rectius omittitur negatio. V. 28. quod noster vertit: *maledixerunt ei*. In Græco est: *ἐλοιδόγησαν αὐτὸν*, conuulsi sunt, eodem ista sensu dicuntur, in v. 28. nonnulla apparet difficultas, quod si negatio addatur, audire accipiendum est, pro credere, assentiri.

VERSUS 31. & seq.

Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. &c.

QVÆSTIO I.

An peccatores Deus non exaudiat?

§. 1. Argumentatur cæcus ex cōmuni principio, & naturali, & reuelato. Nam & veteres Eth-
Pios au-
ri à De-
principij
est fidet.
 nici, generatim existimant, eos qui iuste ac pie uiuerent, à Deo impetrare quæ rogarent, impios odio haberi. Et sane Deos non nisi æquos ac iustos fingere initio cœperunt, post addiderunt, & sanguinarios, & flagitiosos, ac denique furios, & dæmonas, scelerum auctores, unde venefica illa exaudiri se postulat.

Si vos satis ore nefando

Pollutoque roco.

Alij Deos pie sancteque colendos doceant, ut bona largirentur. *ὅσας θεοὺς ὁ Ἰσραὴλ ἐν τῇ γῇ μακάριον ἐκείνῃ, αὐ-
 τῷ. Qui Deus ootemperat, facile eum exaudiunt.* Hinc cōmuni principio non obstat, quod peccatores Deus aliquando exaudiat. Nam penitentes exaudit, ut promissit, interdum etiam non conuersos; nam Achabum cum utique se humiliaret exaudiuit, & quosdam impios, ad miracula facienda inuocatus non destituit. Intelligenda ergo verba sunt de præsentis quæstione Christus se Messiam à Deo missum ante Abrahamum esse affirmabat, non credebant, verum ad lapidationem vsq; exardescabant. Christus miraculo illustri sua dicta confirmat: hoc non posset, si à Deo non esset. Non posset impostor à Deo impetrare, ut ad falsam eius sanctitatem ostendendam, aut mendacia comprobanda, ederet miracula. Non enim diuinæ veritatis sigillum appendi potest præstigijs & Christi imposturis, nouum autem & à sæculo inulatum miraculum demonstrabat à Deo ipsum venisse. Nescimus autem ante fecerat, ut docet Athan. de Incarnat. verbi Dei pag. 67. a. Tale quid de quoniam (quæso) poterunt allegare? aut quomodo denique audient contra ista
relat.

vel oculos attollere? Siquidem Prophetia Deum aduenturum significat: & signa eius presentia tempus ostendunt. Ac in aduentu eius futurum esse, ut cæci videant, claudi ambulent, surdi audiant, balbi expeditam linguam habeant, præcio denuntiari indicauerunt. Quando igitur talia signa contigerunt in Israel? Aut ubi simile quippiam in Iudæa accidit: doceant. Naaman leprosus mundatus est, sed surdus non audiit, aut claudus ambulauit. Mortuum excitauit Helias & Helisæus, sed non is qui natura cæcus fuit, per eos visum recepit. Magnum quidem profecto mortuum reuera excitare. Caterum id non tale miraculum, quale Saluatoris nostri. Atqui de lepra, de mortuo, de claudis, non tacuisset scriptura, maxime si accidisset aut claudum obambulare aut cæcum visum recipere. Nequaquam hæc indicare prætermisissent sacra literæ. Quoniam igitur tacitum est de ea re in scripturis, certum est ea prius non euenisse. Quando igitur ista acciderunt, nisi quando ipse Dei sermo in corpore fuit? Quando autem adfuit nisi cum contigit claudos ambulare, linguam balborum expediti, surdos audire, cæcos a partu visum recipere: ideoque eius temporis Iudæi hæc videntes, in hæc verba proruperunt, utpote qui non abunde hæc fieri audierunt. Nunquam talis surrexit in Israel, ab æuo auditum non est, ut quisquam aperuerit oculos a partu cæci. Nisi hic esset à Deo, non posset quippiam tale facere.

Nisi esset à Deo non posset quicquam facere. Syrus hoc nempe cæcum à natiuitate curare. Hoc ergo modo intelligendum est, Deum peccatorem non audire. Sen vt Syrus habet, vocem peccatorum non audire.

§. 2. Quod olim isto loco vñ sunt Donatistæ, vt docerent sacramenta irrita esse, quæ à peccatoribus administrantur, id quidam imitati sunt patrum saculo, & qui baptismum cum Cypriano negabant tantum, si hæreticus eum contulisset. Cyprian. Ep. 64. & 68. Et Cyprianus quidem sententiam mutauit, seque à Catholicis non separauit, vt testatur Augustinus, discipuli eius qui contumaces in errore perstiterunt, damnati sunt. Obijcit l. 7. de baptismo contra Donatistas apud Augustinum cap. 21. Lucius à Mambreta. Scriptum est. Nemo potest accipere aliquid nisi datum fuerit ei de cælo. Si hæresis de cælo est, potest baptismus dare. Respondetur audiat & alium dicentem si Auaritia de cælo est, potest baptismus dare, & tamen dant auari, sic ergo & hæretici.

Pluribus respondet l. 2. c. 8. contra Epistolam Parmeniani. Summa est, non iudicandos esse facile peccatores, eos audiri à Domino; idem Origen. hom. 5. in Ila. & Basilis constitut. monast. c. 2.

Impij aliquando miracula faciunt signo iustitiæ, non ad roborandum errorem, sed veritatem confirmandam. Ita Augustinus lib. 83. qq. 9. 79. Quin etiam Caluinus ad impetrandum à Deo aliquid pietatem & fidem requirit. Peccator, inquit, hic impium & sceleratum significat. Deum ait non audire nisi à quibus vere, & sincero corde vocatur. Solam fidem ad Deum aperire ianuam, impios in precibus nomen Dei profanare, & mereri sacrilegij pœnas, nihil impetrare. Impios autem intelligit, qui non credunt sua scelera sibi non imputari.

Falsum igitur est, quod & Caluinus, & eius, assecutores declamant: impium dum adhuc impius est, iustificari, Deo gratum, conciditque tota illa imputatæ iustitiæ vanitas. Quod vero Brentius hic garrit ex miraculo non esse fidem, sed verbo Dei, fallit imperitos. Nam vt verbo credamus miracula fieri, mouent illa animum vt verbis assentiamur.

VERSUS 39. & seq.

Et dixit ei Iesus. In iudicium ego in

hunc mundum veni: vt qui non vident, videant: & qui vident cæcificent. Et audierunt quidam ex Phariseis qui cum ipso erant: & dixerunt ei, Nunquid & nos cæcificamus: &c.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus venerit, vt videntes cæci fierent.

§. 1. CŒcus audito Christum esse filiū Dei. Procidens eum adorauit, adoratione Deum reatus, vt docet Chrysostomus. *ἔπερ ὁ ἰσχυρὸς τῶν τε θεῶν ἐμπαλὺν προσκύνῃσιν εὐχέας. ὅπερ οἱ τοῖς τε θεοῖς πνεύματων ἐπισημαίνοντες διὰ τῶν καὶ ἐν τῇ αἰσθητικῇ ἐμφάνειν αὐτῶν τὴν θεῶν δύναμιν, ἵνα τὸ μήτις νομισθῆναι μόνον εἶναι τὸ λεχθέν, καὶ τὸ ἔργον προσηγορεύει. Ille affectum suum ē vestigio adorando protulit, quod pauci curati fecerunt, vt leprosi illi. & alij hoc pacto diuinam eius virtutem demonstrent, ne quis enim verbo tenuis dixisset, si bi-trari posset, opus etiam addidit.*

§. 2. Postquam igitur cæcus vidit, credidit, adorauit, videntes autem miraculi magnitudine excæcati sunt, subiecit Christus se in iudicium venisse, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. Particula vt non est hoc loco ἀπολογικόν, vt notant Græci, sed ἐνθάδε; Non enim causam vniuersæ significat, sed in parte causam in alia euentum. Venit enim propter nos cæcos, & miseros, vt illuminaret, sua deinde gratia perfidos liberaret, non venit propter seipsum, vt docte exponit Athanasius oratione 3. contra Arianos. Saluator quoque idem de ipso loquitur, Ad iudicium ego in mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Non igitur propter seipsum sed propter nostram salutem, & ob demolitionem mortis, & condemnationem peccati, & vt cæci visum recipere, & vt omnes à mortuis excitarentur, aduenit. Si igitur non suis gratia, sed nostri venit, neque in suis visum conditur, sed ad nostrum, fieri non potest vt sit creatura.

§. 3. Iudicium exponunt dupliciter, proprie & pro iudicatione, vt sensus sit, sed iudicaturū nunc alios illuminandos, alios excæcandos. Quo pertinet etiam illorum interpretatio, qui iudicari restingunt ad solam condemnationem. Aliiter iudicium generaliter accipiunt pro diuina providentia, qua Christus in mundum venit, eo effectu, vt qui cæci sunt, videntes fiant, & videntes excæcentur: non quod cæcitatē auctor sit providentia, sed quod alios misericorditer illuminet, alios iuste in cæcitate relinquat. Nam cæcos hic dici eos, qui se maxime videntes arbitrantur, cæcitate, ignorantieque arrogantes, ideo ait, ver. 41. Si cæci essetis, hoc est: cæcos esse cognosceretis. peccatum non haberetis, iam enim dudum ad remediū venissetis, & remissa essent peccata vestra, nunc autem peccata vestra manent. Nam in Græco alij legunt ἀμαρτίαν alij ἀμαρτίαν. Iusto ergo Dei iudicio tam impia cæcitas, falsū & odio obtenebrata deseritur. Quamvis & alius, isq; verissimus possit esse sensus. Si cæci esse is corpore & animo, aut sola duntaxat mente, hoc est, mea miracula non vidissetis, doctrinam non audissetis, vt multi sunt longinquis in locis, qui de me nihil audierunt, peccatum hoc perfidiæ, & duritiæ contumacissimæ non habetis, nunc vero peccatū vestrū manet, vt loquatur Dominus non de omni delicto, eosq;

Non est Christus causa excæcationis.

Iudicium hoc loco.

Singulari in Iudæis cæcitas.